An. et vol. XXXXI 21 Novembris 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Adhortatio Apostolica, p. 529 – Constitutiones Apostolicae, p. 531 – Litterae Apostolicae, p. 539 – Allocutiones, p. 547.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I. Decretum, p. 562; II. Provisio Ecclesiarum, p. 562 – *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Decretum, p. 564 – *S. C. Rituum*: Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 565.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 573.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 574-576.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis: In Italia, Lib. 800
In Europa, Lib. 2000; extra Europam $ 4
Pretium unius fasciculi: In Italia, Lib. 75
In Europa, Lib. 180; extra Europam $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 13 - 21 Novembris 1949)

ACTA PII PP. XII

ADHORTATIO APOSTOLICA

PAG.

Sollemnibus documentis. – Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: iterum indicuntur supplicationes pro Sacris Palaestinae Locis. – 8 Novembris 1949 529

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *De Chihfeng* (Cefomensis). – Praefectura Apostolica de Chihfeng, in Sinis, ad Dioecesis gradum evehitur « Cefomensis » nomine. – 21 Aprilis 1949 531

II. *Guineae Gallicae seu Konakriensis* (Kankanensis). – A Vicariatus Apostolici Guineae Gallicae territorio pars orientalis distrahitur, quae in novam Praefecturam Apostolicam « Kankanensem » nomine erigitur; Vicariatus autem Guineae Gallicae in posterum « Konakriensis » appellandus decernitur. – 12 Maii 1949 . 533

III. *Nova Guinea Neerlandica* (*Amboinaënsis*) (Hollandia). – E territorio Vicariatus Apostolici Novae Guineae Neerlandicae, in posterum « Amboinaënsis » appellandi, pars septentrionalis separatur, quae in novam Praefecturam Apostolicam « Hollandiam » erigitur. – 12 Maii 1949 535

IV. *Paraibensis* (Campinae Grandis). – A Metropolitanae Ecclesiae Paraibensis territorio pars separatur, quae in novam erigitur Dioecesim « Campinae Grandis » nuncupandam. – 14 Maii 1949 536

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Grave ac sollemne.* – Sanctus Timotheus, Ep. et M., Patronus aeque Principalis Thermularum Dioecesis constituitur. – 25 Martii 1947 . . . 539

II. « *Faventia fidelis* ». – Titulo et privilegiis Basilicae Minoris ditatur Ecclesia Cathedralis civitatis ac Dioecesis Faventinae. – 11 Februarii 1949 541

III. « *Hymnum cantemus* ». – Templum Paroeciale et Collegiale Sancti Blasii, E. M., in civitate « Finalborgo » intra fines Savonensis Dioecesis, Basilicis Minoribus accensetur. – 8 Aprilis 1949 544

IV. *Centum amplius.* – Ecclesia Cathedralis Archidioecesis Sancti Bonifacii in Canada titulo Basilicae Minoris ornatur. – 10 Iunii 1949 546

ALLOCUTIONES

I. Sociis Unionis sodalitatum, cui nomen « Mouvement Ouvrier Chrétien de Belgique », ad S. Sedem peregrinantibus. – 11 Septembris 1949 . . . 547

II. Delegatis ad conventum Unionis Internationalis sodalitatum ad iura familiae tuenda, Romae coadunatis. – 20 Septembris 1949 551

III. Ad philosophos studiis humanitatis deditos, Romae coadunatos. – 25 Septembris 1949 555

IV. Participantibus conventus internationalis quarti medicorum catholicorum, Romae coadunatis. – 29 Septembris 1949 557

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *De Conceptione et de Chaco.* – Decretum. Mutationis tituli dioecesis. – 16 Iulii 1949 562

II. Provisio Ecclesiarum 562

PRO ECCLESIA ORIENTALI

Alexandrin. Coptorum et Hermopolitan. – Decretum. De dioecesium finium mutatione. – 15 Iulii 1949 564

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Neapolitana.* – Decretum introductionis causae pro beatificatione S. D. Iosephi Moscati, viri laici. – 6 Martii 1949 565

II. *Romana seu Viterbien.* – Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. S. D. Rosae Venerini, fundatricis Magistrarum Piarum quae ab eius cognomine nuncupantur. – 6 Martii 1949 567

III. *Novarien. seu Bituricen. seu Vicariatus Apost. Papuasiae.* – Decretum introductionis causae pro beatificatione S. D. Henrici Baptistae Stanislai Verjus, Episcopi Limyren., Coadiutoris Vicarii Apostolici Novae Guineae, e Congregatione Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu. – 11 Martii 1949 570

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis:

Saginaven. – Nullitatis matrimonii (Revette-Ticer). – 9 Augusti 1949 . . . 578

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 574

Necrologio 576

An. et vol. XXXXI 21 Novembris 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

ADHORTATIO APOSTOLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : ITERUM INDICUNTUR SUPPLICATIONES PRO SACRIS PALAESTINAE LOCIS.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Sollemnibus documentis ac factis viva voce verbis quotiescumque opportunitas fuit, postremis hisce temporibus filios Nostros e quavis terrarum orbis parte adhortati sumus, ut supplices ad Deum preces funderent pro sacra regione illa, « ex qua tanta gentibus omnibus veritatis lux inde ab obscura antiquitate est orta ». [1]

Hodie vero dum in publicis coetibus de futuro agitur Palaestinae statu eiusque ordinatione, Nos, pro Apostolici Ministerii Nostri officio, vehementer optamus ut una Nobiscum coniuncti, quotquot christiano gloriantur nomine, ab Omnipotenti Deo pacis, caritatis, iustitiaeque munera sacris illis locis instantioribus supplicationibus impetrent.

Norunt enim omnes ad Bethlehemiticum specum Angelos, gloriam Deo concinentes, pacem nuntiavisse hominibus bonae voluntatis; [2] norunt per Palaestinae urbes, oppida, pagos Eum pertransiisse benefaciendo [3] qui mortalibus sicut ovibus errantibus absque pastore [4] suum

[1] Epist. Encycl. *Auspicia quaedam*, *A. A. S.*, 1948, p. 170.
[2] Cfr. Luc., II, 14.
[3] Cfr. *Act.*, X, 38.
[4] Cfr. Matth., IX, 36.

non modo praeceptum, sed etiam exemplum amoris impertiit, norunt denique in Golgotha monte Hominem Deumque Christum, dum immaculatam se victimam obtulit pro peccatis omnium, sincerae libertatis ac iustitiae triumphum suo profuso cruore promeruisse.

Si grata igitur tam grandium beneficiorum memoria cum hac sacra regione arctissime coniungitur, hodie procul dubio, si umquam alias, grave officium est incensas ad Caelum admovere preces pro terra illa, quae per saeculorum decursum christianos fere innumeros, ad se pietatis causa peregrinantes excepit; quae inflammatos eorum animos ad quaevis fortiter toleranda commovit; quae olim, quae in praesens quoque, iure meritoque eorum mentem eorumque amorem peculiari modo excitavit atque excitat.

Atque utinam — quod fore confidimus impenseque optamus — Deipara Virgo Maria, immaculati sui Cordis bonitate permota, id a Divino Redemptore impetret, ut hac nova precum contentione eveniat ut quam primum Hierosolymae universaeque Palaestinae eiusmodi tribuatur ordinatio, quae ex verae iustitiae normis oriatur; quae reapse dimicationum ruinarumque discrimina prohibeat; quae loca illa, utpote sacra habenda, incolumia servet Iesu Christi sectatorum venerationi atque amori; cuius denique vi, iura omnia in tuto ponantur, quae Ecclesiae filii, tam incensa pietate, tam actuoso studio operosaque navitate per elapsi temporis spatium catholico orbi universo adepti sunt.

Qua dulci spe freti, vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, ac gregibus vestrae curae demandatis Apostolicam Benedictionem, quae supernarum sit gratiarum auspex Nostraeque benevolentiae testis, amantissime in Domino impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die VIII mensis Novembris, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE CHIHFENG
(CEFOMENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE CHIHFENG, IN SINIS, AD DIOECESIS GRADUM EVEHITUR « CEFOMENSIS » NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Per Apostolicas Litteras *Romani Pontifices,* sub anulo Piscatoris a fel. rec. Pio Papa Undecimo, Praedecessore Nostro, die vicesima prima Ianuarii mensis anno millesimo nongentesimo trigesimo secundo datas, ex Apostolico Vicariatu de Jehol separato territorio, erecta fuit nova Praefectura Apostolica de Chihfeng et indigenae cleri sinesis curis commissa. Quae quidem quum adsiduo labore constantique zelo missionariorum haud mediocres tum quoad catholici nominis propagationem, cum quoad opera missionaria, profectus fecerit; ut missionariis inibi adlaborantibus meritae laudis detur testimonium simulque eis addatur animus ad novos maioresque in dies exantlandos labores, digna sane visa est quae ad maioris dignitatis gradum evehatur. Praehabito itaque favorabili voto venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Darensis et in Sinis Internuntii Apostolici, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, suppleto quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, Praefecturam Apostolicam De Chihfeng, in provincia Momcuvana, suprema apostolica Nostra auctoritate in dioecesim erigimus et constituimus sub Cefomensis nomine appellandam.

Novam hanc dioecesim suffraganeam esse volumus metropolitanae Ecclesiae Soeiiuenensi, eisque pro tempore Episcopos metropolitico Archiepiscopi Soeiiuenensis iuri subiicimus.

Dioecesis porro sedem episcopalem in urbe *Chihfeng* figimus, a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur; cui idcirco omnia iura et privilegia erunt, quibus ceterae per orbem episcopales civitates fruuntur; ecclesiam autem principem in eadem urbe exstantem ad cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus et illi quoque atque pro tempore Episco-

pis Cefomensibus omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia et gratias, quibus iure communi ceterae cathedrales Ecclesiae et Episcopi gaudent; illosque pariter omnibus adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Quod autem ad dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad seminarii dioecesani constitutionem, ad clericorum iura et onera spectat, servari iubemus quae sacri canones praescribunt.

Cum vero praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in dioecesi ista Capitulum Cathedrale modo constituatur, indulgemus ut pro Canonicis ad iuris tramitem Consultores Dioecesani modo eligantur et adhibeantur.

Episcopalem autem mensam, praeter bona usque nunc ad Praefecturam de Chihfeng spectantia, emolumenta Curiae Episcopalis et fidelium oblationes, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, constituent. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Apostolicum in Sinis Internuntium, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Internuntiaturae praeerit, deputamus eique idcirco necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, eidemque onus imponimus peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide quamprimum fieri possit transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per

praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die vicesima prima Aprilis mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 54. – Al. Trussardi.

II

GUINEAE GALLICAE SEU KONAKRIENSIS (KANKANENSIS)

A VICARIATUS APOSTOLICI GUINEAE GALLICAE TERRITORIO PARS ORIENTALIS DISTRAHITUR, QUAE IN NOVAM PRAEFECTURAM APOSTOLICAM «KANKANENSEM» NOMINE ERIGITUR; VICARIATUS AUTEM GUINEAE GALLICAE IN POSTERUM «KONAKRIENSIS» APPELLANDUS DECERNITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Evangelizationis operi inter infideles gentes melius equidem consulitur nimio patentes territorio Missiones dismembrando novasque erigendo Missiones aliis concredendas evangelii praeconibus. Qua moti sententia, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, lubentissime excipiendas duximus Nobis oblatas preces, quibus postulatum est ut ab amplissimo Vicariatus Apostolici Guineae Gallicae territorio

orientalem partem distrahere et novam exinde Praefecturam Apostolicam erigere decernamus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praefati Guineae Gallicae Vicariatus Apostolici territorio orientalem partem distrahimus, quam in novam Praefecturam Apostolicam erigimus et constituimus, cui nomen erit *Kankanensis*. Limites autem inter novae huius Praefecturae Apostolicae et ceterum territorium in parte occidentali situm Vicariatus Apostolici Guineae Gallicae, quem in posterum *Konakriensem* nuncupandum decernimus, iidem sint ac limites inter districtum civilem de *Dabola,* in Praefectura Apostolica Kankanensi exstantem, et districtus civiles de *Labé* et de *Mamou,* in Vicariatu Apostolico Konakriensi exstantes. Novam porro Praefecturam Apostolicam Kankanensem apostolicis concredimus curis Congregationis Sancti Spiritus sodalibus, qui plurimos iam annos illic sollerter adlaborant, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacit m. Huic ergo novae Praefecturae Apostolicae Kankanensi eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia ita disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem ac iisdem praesentibus ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, decreti, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die duodecima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 62. — Al. Trussardi.

III

NOVA GUINEA NEERLANDICA (AMBOINAËNSIS) (HOLLANDIA)

E TERRITORIO VICARIATUS APOSTOLICI NOVAE GUINEAE NEERLANDICAE, IN POSTERUM « AMBOINAËNSIS » APPELLANDI, PARS SEPTENTRIONALIS SEPARATUR, QUAE IN NOVAM PRAEFECTURAM APOSTOLICAM « HOLLANDIAM » ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Melius aptiusque evangelizationis operi haud dubie consulitur, si amplissima plerumque Missionum territoria dismembrentur, et novae erigantur Missiones aliorum Evangelii praeconum curis tradendae. Quo moti consilio, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, audito favorabili voto Venerabilis Fratris Georgii de Jonghe d'Ardoye, Archiepiscopi titularis Misthiensis et Delegati Apostolici in Archipelago Indonesiano, Nobis censuerunt proponere, ut Vicariatus Apostolici Novae Guineae Neerlandicae territorium bipartire velimus ad novam ibi Praefecturam Apostolicam constituendam; simulque ut Vicariatus ille in posterum Amboinaënsis nuncupari decernamus. Nos itaque hanc Patrum Cardinalium propositionem libenter excipientes, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab Apostolici quem supra diximus Vicariatus Novae Guineae Neerlandicae, quem in posterum « Amboinaënsem » appellandum decernimus, territorio septentrionalem partem seiungimus et novam exinde Praefecturam Apostolicam, « Hollandiam » nomine, erigimus et constituimus, eamque sollertibus sodalium Ordinis Fratrum Minorum curis concredimus, qui iamdudum illic tam fructuose, Deo favente, adlaborant. Nova haec Praefectura linea circumscriptam volumus iuxta limitem divisionis a finibus Papuasiae Australianae proficiscente, usque ad Sinum Aetna prius, deinde per mare ita currente ut insulas *Ternate, Tidore, Halmahera* et *Batjan* complectatur. Novae itaque huic Praefecturae Apostolicae Hollandiae eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri ad-

stringuntur. Quae omnia ita disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis et sigillo viri ecclesiastici in dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vet ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die duodecima mensis Maii, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 63. — Al. Trussardi.

IV

PARAIBENSIS
(CAMPINAE GRANDIS)

A METROPOLITANAE ECCLESIAE PARAIBENSIS TERRITORIO PARS SEPARATUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM « CAMPINAE GRANDIS » NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Supremum universi dominici gregis regimen, Nobis divinitus commissum, illud in primis postulare dignoscitur ut quidquid creditarum Nobis animarum bono atque utilitati conducit omni studio procurare satagamus. Non mediocri igitur animi Nostri laetitia preces excepimus venerabilis Fratris Moisis Coelho, Archiepiscopi Paraibensis, quibus ipse a Nobis postulavit ut, congrua a perampla sua archidioecesi territorii parte divulsa, novam inde Dioecesim constituere decernamus.

Quibus precibus, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consistorialibus Negotiis praepositorum consilio, praehabito quoque venerabilis Fratris Caroli Chiarlo, Archiepiscopi titularis Amideni et Nuntii Apostolici in Republica Brasiliana, reique perpensa opportunitate, benigne annuendum censuimus. Suppleto itaque, quatenus opus sit, aliorum, qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a, quam supra memoravimus, archidioecesis Paraibensis territorio, has quae vulgo audiunt undeviginti paroecias distrahimus: *Texeira, Batalhâo, Monteiro, Sumé, Caroà, Itamorotinga, Caraibeiras, Cabaceiras, Ibiapinopolis, Picuí, Pedra Lavrada, Cuité, Esperança, Alagôa Nova, N. S. da Conceiçâo, N. S. da Rosario, Iofili, Tataguassú, Fagundes.*

Quare novae dioecesis fines erunt: ad septentrionem Status *Rio Grande do Norte;* ad occidentem dioecesis Cajazeirasensis; ad orientem Municipia archidioecesis Paraibensis, quae sequuntur: *Araruna, Bananeiras, Areia, Alagôa Grande, Ingá, Umbezeiro;* ad meridiem Status *Pernambuco.*

Territorium, inter hos fines praefatas complectens paroecias, in novam erigimus et constituimus dioecesim, quae a *Campina Grande* urbe *Campinae Grandis* nuncupabitur.

Sedem autem episcopalem in hac figimus urbe, quam proinde ad civitatis episcopalis dignitatem evehimus; Episcopi vero cathedram in templo Deo in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. dicato, in eadem *Campina Grande* urbe exstante, statuimus; quod proinde templum ad Cathedralis Ecclesiae gradum extollimus, et illi et pro tempore Episcopis Campinae Grandis iura omnia tribuimus, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales earumque Antistites iure communi fruuntur et eos omnibus adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Novam dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Paraibensi, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico subiicimus iuri Paraibensis Archiepiscopi.

Indulgemus insuper ut, donec in cathedrali canonicorum capitulum constitui poterit, ad iuris tramitem pro canonicis consultores dioecesani eligantur et adhibeantur.

Mandamus porro ut, quam primum fieri poterit, saltem parvum Seminarium dioecesanum iuxta Codicis Iuris Canonici praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Universitatibus Studiorum traditas erigatur; itemque ut nova haec dioecesis binos delectos iuvenes, aut modo saltem unum, in sortem Domini vocatos, in Pontificium Semina-

rium Brasilianum de Urbe suis sumptibus non intermissa vice mittat, ut sub fere oculis Nostris in spem Ecclesiae instituantur.

Episcopalem autem mensam constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est, praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt.

Quod autem attinet ad dioecesis regimen et administrationem, ad clericorum et fidelium iura et onera, ad Vicarii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso eidem Ecclesiae clerici censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt.

Volumus tandem ut documenta et acta, quae novam hanc dioecesim respiciunt, a cancellaria archidioecesis Paraibensis ad dioecesis Campinae Grandis cancellariam quam primum fieri poterit transmittantur, ut in proprio archivo religiose serventur.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda, venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Brasilia Nuntium Apostolicum deputamus, vel illum qui in exsecutionis actu Nuntiaturae Apostolicae praeerit, et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, et ipsi onus facimus ad S. Congregationem Consistorialem quam primum authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ce-

terisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die quartadecima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

Alfridus Vitali, *Prot. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Prot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 82. – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

PIUS PP. PII

SANCTUS TIMOTHEUS, EP. ET M., PATRONUS AEQUE PRINCIPALIS THERMULARUM DIOECESIS CONSTITUITUR.

Ad perpetuam rei remoriam. — Grave ac sollemne apud Christifideles Ecclesiis, Cathedralibus praesertim, concreditum est mandatum, pervetustas christianae ad easdem pertinentis historiae memorias studiosissime servandi tuendique, ne in oblivionem adducantur, sed potius gloriam Dei per Sanctos suos in perpetuum canant atque ad spiritualem profectum fideles magis magisque incitent. Quo autem vetustiora sunt monumenta quae in iis custodiuntur, potissime vero cum Apostolorum ipsorum aetatem attigerint, eo diligentius eadem tueri opus est, in periculis aerumnisque condere ne pereant, in rebus secundis populo christiano ostendere ut

ipse pio congruentique ea prosequatur honore. Thermularum quidem dioecesis, quae in antiquissima eiusdem nominis civitate saltem saeculo decimo constituta fuit, Dei benignitate atque amore singulariter frui videtur, cum sacrum Doctoris gentium discipuli Caput, Sancti nempe Timothei, iam antiquitus in eius Ecclesia Cathedrali religiose asservaretur. Sed, temporum iniuria, cetera Eius corporis ossa numquam inveniri potuerant, quin etiam ne ulla quidem eorum supererat memoria. Providentissimus vero Deus Thermulanae dioecesi luculentum suae dilectionis signum dare voluit, quod insimul Christi Athletae gloriam palam augeret. Enimvero, anno millesimo nongentesimo quadragesimo quinto, infensissimo bello vix composito, Venerabilis Frater Oddo Bernacchia, Larinensis et Thermularum Episcopus, maxima alacritate impensoque studio Thermulanam Ecclesiam Cathedralem in pristinum restituendam curavit, ut, novis structuris disiectis, nobile antiquae fabricae genus, « romanicum » nempe, uti aiunt, in lucem denuo ederetur. Huiusmodi itaque vixdum inceptis operibus, die decima mensis Maii, eodem anno, quaedam fortuito detecta capsula fuit, humana ossa continens, quae, recognitione canonica rite peracta, latinaque superscriptione facile explicata, tuto assignari potuerunt Sancto Timotheo Episcopo Ephesino et Martyri, Divi Pauli Apostoli discipulo, iam ab anno millesimo ducentesimo trigesimo nono, Stephani Episcopi atque Canonicorum Collegii cura, ibi religiose atque pie collocata. Qui felix fortunatusque eventus maximum gaudium Episcopo, Canonicis, Civitatis Proceribus, universo Clero populoque attulit, quos Deus miserentissimus reliquiarum Illius custodes efficere voluit, qui Apostolo Gentium carissimus fuit quique eidem adiutricem sanctamque operam in populis Evangelii doctrina erudiendis quam maxime praestitit. Cuius cultus denuo floruit apud fideles et in dies provide percrebuit, una cum numquam intermissa erga Sanctum Bassum, Nicensem Episcopum et Martyrem atque Thermulanae dioeceseos Patronum praecipuum, veneratione. Cum autem supra memoratus Ordinarius, nomine etiam Canonicorum Ecclesiae Cathedralis, totius Cleri, Civitatis Optimatum universique populi enixas preces Nobis exhibuerit ut Sanctum Timotheum Patronum Caelestem aeque principaliter, una cum Divo Basso, eiusdem dioecesis statuere dignaremur, Nos, libenti animo huiusmodi supplicationibus annuentes, et audito quoque Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Praenestino Episcopo atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine Sanctum Timotheum, Episcopum Ephe-

sinum et Martyrem, praecipuum Patronum Caelestem, aeque principaliter cum Sancto Basso, Episcopo et Martyre, Thermularum dioeceseos, omnibus ac singulis liturgicis privilegiis adiectis, quae principalibus locorum Patronis competunt, confirmamus, constituimus ac declaramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus atque statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Martii, anno MCMXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status
DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

II

TITULO ET PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DITATUR ECCLESIA CATHEDRALIS CIVITATIS AC DIOECESIS FAVENTINAE.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Faventia fidelis »: conciso hoc uno dicto iure meritoque appellanda atque, prout nomen ipsum suadere videtur, favenda est Civitas illa vetustissima, quae, Martyrum iam purpurata sanguine, Evangelico ibidem evulgato confestim praeconio, Episcopalem Cathedram, inde a saeculo tertio, a Romano Pontifice obtinuit, eique exinde fidelitatem vovit integramque per saecula servavit. Quam quidem, pristina Ecclesia Cathedrali extra moenia diruta, per novum urbanum Templum Deo in honorem Principis Apostolorum, saeculo octavo, clare ostendit confirmavitque splendidius, quum, decimo quinto vertente saeculo, hodiernum Templum, « classico » stylo mirifice aedificatum, primo suffectum fuit. Quanta fuerit per tot temporis spatium, tum in secundis cum in adversis rebus, civium pietas, quanta contra Ecclesiae ac Romanorum Pontificum inimicos firmitas eorum, praecipuum exstat testimonium Faventinum memoratum Templum. Prout enim omnibus compertum est, fideles, christiana exardente Fide

eademque afflante, maximo praesertim civitatis Templo grave quoddam officium committere solent, historicas nempe, religiosas non minus quam civiles, memorias tuto condendi labentibusque annis diligenter tuendi. Haud aliter accidisse videtur apud Faventinum populum, qui (ut Sancti Leonis Magni verbis utamur), « in accepta fortitudine Petrae perseverans », Christiana meruit honestari Fide, quae « tanta divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica umquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia ». Maximum proinde spirituali civilique vitae incrementum dederunt cives, praecipueque Martyrum cultui ac Beatorum Caelitum Civitatis ac Dioeceseos, quorum Reliquiae in Ecclesia Cathedrali adhuc sedulo asservantur pienterque coluntur. Quas inter celeberrimi illius Sancti Petri Damiani, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, exuviae peculiari veneratione gaudent, in propria positae Ara optime ornata. Attamen Faventinorum pietas erga Beatam Deiparam Virginem, « Mariam opiferam » seu « gratiarum », praecipuam Urbis ac Dioecesis Caelestem Patronam, micat fulgetque, quippe cum in eodem Templo Sacellum affabre arte confectum in Eiusdem Virginis honorem excitandum curaverint. Arridet Ipsa suaviter e sua Imagine, tremulis tenuibusque lampadum flammulis tamquam minusculis sideribus decorata, et supra illam posita Aram, ubi Sanctus Ioannes Bosco sacrosanctum Missae Sacrificium devotissime litavit. Ad Eam, cuius Imaginem rec. mem. faventinus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Michaël Lega, proximi Decessoris Nostri nomine, aurea corona, anno MCMXXXI, sollemniter redimivit, in privatis seu publicis calamitatibus gratias impetraturi gratiasque quam maximas pro receptis beneficiis cives ac peregrini acturi, innumeri se conferunt. Ab Ea item, animis refecti atque « beneficia cuncta se impetrasse laetantes », discedunt quotquot in Fide, in Spe, « in Charitate Christi radicati et fundati » re vera sunt. Templum autem ipsum, Mariale illud Simulacrum custodiens, apud christianum populum fit munitissima Fidei arx, optatissimus Spei terminus, indeficiens Charitatis incrementum. Quod quidem, a Decessoribus Nostris non semel beneficiis ac privilegiis locupletatum aliquorumque ex iis praesentia etiam recreatum, Sanctorum Confessorum Corpora pie custodit, continetque Episcopalem Cathedram, in qua, sanctitate, ingenio operibusque praeclari, nonnulli constiterunt Antistites, ex quibus ad Summi quoque Pontificatus apicem feliciter pervenit, saeculo XVII, Antonius Pignatelli, Episcopus et Cardinalis, qui Decessor Noster fuit, rec. mem., Innocentius PP. XII. Miserentissimo denique favente Deo atque Beata Virgine Maria « Gratiarum Regina » opitulante, maxima eadem Sacra Aedes, novissimo teterrimoque

saeviente bello ac telis ignivomis e caelo ruentibus totamque civitatem misere vastantibus, fidelium pietati artisque cultui providenter servata fuit. Tanta in uno Templo pietatis, historiae artisque conspiratio cum perfectionem quandam exigeret, Venerabilis Frater Ioseph Battaglia, Faventinus Episcopus, dioecesanae Synodi ducentis post annis in Ecclesia Cathedrali sollemni ritu celebratae faustam opportunitatem nactus, nomine quoque amplissimi Canonicorum Collegii, utriusque Cleri universique Faventini populi, enixas adhibuit Nobis preces ut memoratam Ecclesiam Cathedralem titulo ac privilegiis Basilicae Minoris honestare benigne dignaremur. Quibus omnibus mature perpensis, ne tam constans firmaque erga Apostolicam hanc Petri Sedem et Romanum Pontificem Faventinorum fidelitas congruenti careat praemio, sed quo magis Episcopalis vetustissimae Dioecesis Sedes Romanae Cathedrae coniuncta sit, huiusmodi precibus annuendum perlibenter censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, memoratam Faventinam Ecclesiam Cathedralem, Deo in honorem Sancti Petri Apostoli dicatam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus atque decoramus, cum omnibus iuribus ac privilegiis rite competentibus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Februarii, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

IO. BAPT. MONTINI
Subst. Secr. St.

III

TEMPLUM PAROECIALE ET COLLEGIALE SANCTI BLASII, E. M., IN CIVITATE « FINALBORGO » INTRA FINES SAVONENSIS DIOECESIS, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

4) Quant à licéité de la fécondation artificielle dans le mariage, qu'il Nous suffise, pour l'instant, de rappeler ces principes de droit naturel : le simple fait que le résultat auquel on vise est atteint par cette voie, ne justifie pas l'emploi du moyen lui-même ; ni le désir, en soi très légitime chez les époux, d'avoir un enfant, ne suffit à prouver la légitimité du recours à la fécondation artificielle, qui réaliserait ce désir.

Il serait faux de penser que la possibilité de recourir à ce moyen pourrait rendre valide le mariage entre personnes inaptes à le contracter du fait de l'*impedimentum impotentiae*.

D'autre part, il est superflu d'observer que l'élément actif ne peut jamais être procuré licitement par des actes contre nature.

Bien que l'on ne puisse *a priori* exclure de nouvelles méthodes, pour le seul motif de leur nouveauté, néanmoins, en ce qui touche la fécondation artificielle, non seulement il y a lieu d'être extrêmement réservé, mais il faut absolument l'écarter. En parlant ainsi, on ne proscrit pas nécessairement l'emploi de certains moyens artificiels destinés uniquement soit à faciliter l'acte naturel, soit à faire atteindre sa fin à l'acte naturel normalement accompli.

Qu'on ne l'oublie pas : seule la procréation d'une nouvelle vie selon la volonté et le plan du Créateur porte avec elle, à un degré étonnant de perfection, la réalisation des buts poursuivis. Elle est, à la fois, conforme à la nature corporelle et spirituelle et à la dignité des époux, au développement normal et heureux de l'enfant.

Votre esprit sincèrement religieux et votre présente démarche, chers fils et chères filles, sont un gage de votre indéfectible fidélité à tous vos

devoirs de médecins catholiques, un gage aussi de votre volonté de contribuer, par votre exemple et votre influence, à promouvoir, parmi vos collègues et vos disciples, parmi vos clients et leurs familles, les principes qui vous inspirent vous-mêmes. C'est dans cette confiance que, avec toute l'effusion paternelle de Notre cœur, Nous vous donnons, à vous, à tous ceux que vous représentez ici, à vos familles, à tous ceux qui vous sont chers, Notre Bénédiction Apostolique.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DE CONCEPTIONE ET DE CHACO

DECRETUM

MUTATIONIS TITULI DIOECESIS

Cum a dioecesi de Conceptione et de Chaco, Apostolicis sub plumbo Litteris « Quo in Paraguayana regione » diei 11 Martii 1948, separatum fuerit totum territorium « Chaco », quo erectus est novus Vicariatus Apostolicus appellatus « de Chaco Paraguayano », Sacra haec Congregatio Consistorialis praesenti Decreto statuit ut posthac praedicta dioecesis « Ssmae Conceptionis in Paraguay » nuncupetur.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 16 Iulii 1949.

✠ Fr. A. I. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

I. FERRETTO, *Substitutus.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 6 Augusti 1949. — Cathedrali Ecclesiae Aniciensi praefecit R. D. Iosephum Chappe, Vicarium Generalem dioecesis Atrebatensis.

die 15 Augusti 1949. — Metropolitanae Ecclesiae Parisiensi Exc. P. D. Mauritium Feltin, hactenus Archiepiscopum Burdigalensem.

die 23 Augusti 1949. — Cathedrali Ecclesiae Veszprimiensi R. P. Bartholomaeum Badalik, O. P.

die 25 Augusti 1949. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Phullitanae Exc. P. D. Gabrielem M. Reyes, hactenus Archiepiscopum Caebuanum, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Michaëlis

O'Doherty, Archiepiscopi Manilensis et Administratorem Apostolicum eiusdem Archidioecesis Manilensis.

die 29 Augusti 1949. — Titulari episcopali Ecclesiae Serigenensi R. D. Caietanum Matousek, archidioecesis Pragensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Beran, Archiepiscopi Pragensis.

die 8 Septembris 1949. — Titulari episcopali Ecclesiae Rhaedestenae Exc. P. D. Emmet Michaelem Walsh, hactenus Episcopum Carolopolitanum, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iacobi Augustini Mc Fadden, Episcopi Youngtoniensis.

die 10 Septembris 1949. — Titulari episcopali Ecclesiae Limisensi R. D. Ioannem Bydolek, rectorem Seminarii maioris Hildesheiensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Gottardi Machens, Episcopi Hildesheiensis.

die 23 Septembris 1949. — Cathedrali Ecclesiae Concordiensi Exc. P. D. Victorium De Zanche, hactenus Episcopum Feretranum.

die 26 Septembris 1949. — Cathedrali Ecclesiae Nanceiensi R. D. Marcum Lallier, Rectorem Seminarii minoris Parisiensis.

die 1 Octobris 1949. — Abbatiae « nullius » Beatae Mariae Virginis Maris Stellae (Wettingen-Mehrerau), cui adnexus est titulus Prioratus Augiae Maioris, R. P. Henricum Groner, Sacri Ordinis Cisterciensis.

die 12 Octobris 1949. — Titulari episcopali Ecclesiae Butiensi R. D. Franciscum Tomasek, Cubicularium intimum seu secretum Sanctitatis Suae et professorem in Facultate Theologica Seminarii Olomucensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Matocha, Archiepiscopi Olomucensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Rhandensi R. D. Gulielmum Weskamm, decanum Magdeburgensem, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Laurentii Iaeger, Archiepiscopi Paderbornensis.

die 21 Octobris 1949. — Cathedrali Ecclesiae Barquisimetensi, R. D. Crispulum Benítez Fontúrvel, Administratorem Apostolicum dioecesis Guayanensis.

— Cathedrali Ecclesiae Guayanensi R. D. Iosephum Bernal Ortiz, parochum « Immaculatae Conceptionis B. M. V. » in urbe Barquisimetensi.

— Cathedrali Ecclesiae Cumanensi R. D. Chrisantum Mata Cova, parochum « El Valle del Espíritu Santo », eiusdem dioecesis Cumanensis.

die 23 Octobris 1949. — Cathedrali Ecclesiae Ambatensi, noviter erectae, R. P. Bernardinum Echeverría, O. F. M., Superiorem Provincialem in Republica Aequatoriana.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

ALEXANDRIN. COPTORUM ET HERMOPOLITAN.

DECRETUM

DE DIOECESIUM FINIUM MUTATIONE

Libenter Romanus Pontifex, pro supremi quo fungitur apostolatus officio, annuere satagit petitionibus quae ad maius christianae plebis spirituale bonum spectare dignoscuntur.

Nuper ab Apostolica Sede expostulatum est ut regio, quae intra finem vulgo « Mudiria Ghizeh » vel « Ghiza » exstat (quaeque dum plurimum a Sede Episcopali Hermopolitana Maiori Coptorum distat, finitima est Sedi Patriarchae Alexandrin. Coptorum) a dioecesi Hermopolitana seiungeretur et dioecesi Patriarchali Alexandrin. attribueretur.

Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia diei 5 m. Iulii anni currentis, referente Excmo ac Revmo Adsessore Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, voto favorabili habito Excmi ac Revmi DD. Arthuri Hughes, Archiepiscopi tit. Apren. et in ditione Aegyptiaca Internuntii Apostolici, necnon Excmi ac Revmi DD. Marci Khouzam, Patriarchae Alexandrin. Coptorum, memoratae petitioni indulgens decrevit ut praedicta regio vulgo « Mudiria Ghizeh » vel « Ghiza » a dioecesi Hermopolitana distrahatur et Patriarchali dioecesi Alexandrinae perpetuo adscribatur, mutatis hac ratione praefatarum dioecesium finibus.

Ut haec exsecutionem sortiantur, de mandato Ssmi, Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali deputat Revmum Regentem Internuntiaturam Apostolicam in Aegypto, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates ad effectum de quo agitur, etiam subdelegandi virum ecclesiasticum in dignitate constitutum, factoque illi onere quam primum remittendi ad hanc Sacram Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die XV m. Iulii a. MCMXLIX.

✠ E. Card. TISSERANT, Ep. Portuensis et S. Rufinae, *a Secretis*

L. ✠ S.

A. Giovanelli, *Off.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI IOSEPHI MOSCATI, VIRI LAICI

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Homo ad imaginem Dei creatus atque in gratia constitutus, per peccatum hanc gratiam cum ceteris donis superadditis amisit: verum per misericordem redemptionem gratia quidem recuperari potest, non tamen cetera dona, quibus primus homo ditatus est, ante instaurationem omnium in consummatione saeculi. Obnoxii enim sumus inclinationi ad malum in anima, morbis autem in corpore. Mirabili vero divinae providentiae consilio fit ut ipsi hi humanae naturae defectus, virtutes vel heroicas exercendi praebeant occasionem.

Re sane vera, ut exemplum aliquod proponamus, qui non turpi lucro sed proximorum bono motus, nobilem medicinae artem exercet, non modo corporis, sed animi quoque salutem facilius ceteris obtinere valet: medico enim nulla occluditur ianua nullus ad infirmum impeditur accessus; eius verba uti oracula habentur, immo ipsa eius consilia, quae animi quoque salutem respiciunt, ab ipso infirmo expeditius gratoque animo excipiuntur, quum morbus et dolor animum ad salutaria exsequenda consilia pronum reddant.

Insigne huiusmodi exemplum christiano populo Servus Dei Iosephus Moscati exhibet, qui, medicinam faciens, in Dei gloriam atque in proximorum corporum animorumque salutem animum intendit, uti cursim mox significabimus.

Beneventi die 25 Iulii a. D. 1880 natus est Iosephus, septimus e novem filiis, quos Franciscus Moscati, magistratum gerens, atque Rosa De Luca, honesti piique coniuges genuerunt. Neapolim quum se transtulisset familia, Iosephus elementaribus atque humanioribus studiis summa cum laude vacavit, atque insimul in religione profitenda mire inter aequales eminuit. Divina dape, ad quam decennis primitus accesserat, per-

saepe ab initio, postea vero, ab adulescentia ad mortem usque, quotidie reficiebatur. Lycaealibus studiis peractis, quo corporum animorumque salutem efficacius promovere posset, medicam disciplinam selegit, cui toto nisu felicique exitu incubuit.

Anno 1903 maxima cum laude doctorali laurea fuit honestatus, eodemque anno et sequentibus, uno amplissimae suae doctrinae titulo, plura officia atque in ipso neapolitano athenaeo chemiae physiologicae, physiologiae et chemiae clinicae cathedras discipulorum bonorumque collegarum plausu obtinuit, humanam scientiam cum pietate docens. De pluribus medicis quaestionibus doctissime conscripsit; verum id in quo eius animi magnitudo ac christiana virtus enituit, cura fuit infirmorum. Non lucri quaestum sed corporis animique salutem toto mentis conanime atque caritatis affectu intendebat. Servus Dei ad infirmos accedens, tanquam amantissimus pater non solum medicae artis eis subsidia sapienter suggerebat, sed pauperibus et medicamenta, sua impensa, subministrabat et pecuniam ad vitae necessitates generose erogabat, semper autem, licet morbus non fuisset lethalis, ut sacramenta reciperent omnibus persuadebat. Mercedem sibi debitam numquam ab egentibus et a sacerdotibus accipiebat, a ceteris non modo non quaeritabat, sed persaepe, si pinguis sponte oblata fuisset, saltem ex parte respuebat. Ceterum unanimis est omnium testium consensus in eius virtutibus ultra communem bonorum agendi modum exercitis celebrandis, atque in sanctitatis fama late vulgata affirmanda. Et iure merito. Christianam enim fidem, nullo ad humana iudicia respectu, palam professus est; firmissima spe aeternam gloriam a Dei bonitate expectavit; ardenti caritate Deum adamavit, omnes actiones ad Eum dirigendo Eique, orationi iugiter intentus, adhaerendo. Quare nil mirum si ceteras exercuerit virtutes, humilitatem praesertim atque integerrimam castimoniam.

Repentino morbo, feria tertia maioris hebdomadae, die 12 Aprilis anno 1927, correptus lectissimam animam Deo reddidit.

Canonicae inquisitiones, Archiepiscopali auctoritate annis 1931-1942, Neapoli fuere peractae, super scriptis, super sanctitatis fama atque obedientia urbanianis decretis de cultu Servis Dei non praestando, atque ad Urbem delatae.

Interim plures litterae, beatificationem Servi Dei postulantes, Summo Pontifici fuere oblatae. Scriptis perpensis, Sacra haec Congregatio die 11 Maii a. 1945 declaravit nihil obstare quominus ad ulteriora posset procedi.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, Rño P. Carolo Micci-

nelli S. I., Postulatore legitime constituto, instante, in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria die 29 Iulii mensis anno 1947 felicis recordationis Emus ac Rmus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Ostien. et Albanen., Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum: *An signanda sit commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur* de eaque retulit. Emi ac Rmi Cardinales, relatione hac auscultata, auditisque Officialium Praelatorum suffragiis scripto datis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, generali Promotore Fidei, re mature perpensa, rescribere censuerunt: *Signandam esse commissionem si Ssmo placuerit.*

Sanctitas vero Sua in audientia eidem Promotori, infrascripto die concessa, Emorum Patrum rescriptum ratum habens, *commissionem Introductionis Causae Servi Dei Iosephi Moscati* Sua manu obsignare dignata est.

Datum Romae, die 6 Martii, Dominica I Sacratissimae Quadragesimae, a. D. 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

II

ROMANA seu VITERBIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI ROSAE VENERINI, FUNDATRICIS MAGISTRARUM PIARUM QUAE AB EIUS COGNOMINE NUNCUPANTUR.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Sanctus Bonaventura de magistri officio agens: Ipse magister est, scribit, « qui cathedram habet in caelis, corda hominum in terris (Sup. Sap., c. V): Cathedram habet in caelo, qui intus docet corda » (Sup. Luc., c. XIX). Serva Dei, de qua modo loquimur, *Magistra* vere *Pia* fuit, cathedram in caelis habens, quatenus, Deo adhaerens, quidquid ab Eo haurire sibi datum erat, suis alumnis veluti transfundebat, scientiam ac

pietatem, et hanc praecipue, in harum cordibus inserens, ut ex dicendis apparet.

Die 9 Februarii mensis anno 1656 Viterbii ex Gottifredo Venerini, medicinae doctore, ac Martia Zampichetti nata est puella, cui in sacro baptismo, ei sequenti die collato, Rosae nomen impositum. Pueritiam atque adulescentiam sub piorum parentum disciplina transegit, atque in virtutum exercitio fuit educata, adeo ut, vix ad rationis usum perventa, virginitatis votum atque religiosae vitae in aliquo monasterio capessendae, ignaris omnibus, emiserit.

Paucos quidem post annos aliquatenus nutare coepit, verum, re serio perpensa, ad prius propositum firmius rediit. Sub prudenti, suavi fortique sui spiritus moderatorum e Societate Iesu directione et consilio, demortuis parentibus, mulieres puellasque coadunare, easque christianam catechesim docere, ad pietatem impellere, preces, rosarium praesertim, simul recitare coepit.

In quo salutari exercitio ipsam speciali praerogativa puellas instituendi atque educandi ornatam esse, evidenter manifestatum est. Rosa, divinae voluntatis certior facta, adiunctis sibi piissimis duabus virginibus Portia Bacci et Hieronyma Colluzzelli, Cardinali Sacchetti, Viterbiensi Episcopo, consentiente, favente quoque Societatis Iesu generali Praeposito, die 30 Augusti anno 1685, primam *Scholam Piam* gratuitam pro puellis populi inauguravit.

Humile quidem coram hominibus, sed nobile Instituti *Magistrarum Piarum rudimentum!* Quod divina opitulante gratia sapientibus regulis constitutum est atque brevi ita dilatatum, ut domus in aliis quoque dioecesibus immo in hac ipsa alma Urbe fundatae sint, Episcopis ac ipso Summo Pontifice Clemente XI approbantibus et faventibus. Speciali mentione Faliscodunensis fundatio est commemoranda. Servus enim Dei Marcus Antonius Cardinalis Barbadicus, Episcopus, eam Faliscodunum advocavit ut huiusmodi ludum constitueret; quod ipsa laudabiliter fecit, magna cum Cardinalis bonorumque laetitia. Cardinalis eam retinere in sua civitate optabat, sed Serva Dei, perspectis indole virtutibus ac singularibus dotibus, quibus a Deo Lucia Filippini ornata erat, eam, etsi vix 22 annos natam, apprime idoneam, cui schola moderanda committeretur, Cardinali tam efficaciter proposuit, ut hic Rosae consilio acquiesceret. Hinc factum est, ut humillima Lucia sensim sine sensu et ipsa fundatrix extiterit, atque iudicium a Rosa de eius eximia pietate efformatum plenissime comprobaretur; cui Sancta Sedes accessit, eam in albo Sanctorum adscribendo; quod in Rosae quoque gloriam cedit, quia, ut

dicit S. Ambrosius : « Perfectio discipulorum gaudium et corona magistri est ».

Pluribus, ut pronum est, obnoxia fuit difficultatibus, quas fortiter suaviterque superavit.

Die 7 Maii a. 1728 sanctam mortem Romae oppetiit.

Etsi apud omnes quotquot eam noverant, sanctitatis fama vigebat, pluribus tamen de causis, inter quas, forte praecipua, suppressio Societatis Iesu, a qua spirituali ratione Magistrarum Piarum Institutum dependebat, processus canonicus tempore utili, viventibus, nimirum testibus de visu, confectus non fuit. Post fere duo saecula, videlicet ab anno 1919 ad annum 1926 Ordinaria auctoritate cum Romae tum Viterbii inquisitiones peractae fuere. Quum nullum ex scriptis impedimentum inventum esset, causa die 16 Maii a. 1928 a Pio Papa XI f. r. fuit introducta. Eodem anno obedientia decretis de cultu non exhibendo recognita fuit, Litteraeque Remissoriales ad Viterbiensem Curiam transmissae fuere pro Apostolico processu construendo, quod factum est. Verum, quum interim, eiusdem Pontificis Motu-proprio, Historica Sectio in hac Sacra Congregatione constituta sit, tota haec causa huius Sectionis studio ipso iure commissa est. Ex huius ingenti elaboratione tot et talia documenta undique collecta sunt, ut evidenter tota Servae Dei vita, eiusque heroicae virtutes in aprico, absque ulla dubitatione, sint positae. Quapropter de his in Antepraeparatoria Congregatione die 30 Octobris a. 1945 coram Rmo Cardinali Alexandro Verde, causae Ponente, disceptatum est, die 16 Decembris a. 1947 in Praeparatoria, demum in Generali coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 22 Februarii anni huius, in qua idem Rmus Cardinalis dubium posuit : *An constet de virtutibus theologalibus, Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum dedere suffragium, quod Summus Pontifex attente auscultavit. Verum, ut divinum beneplacitum supplici prece Sibi daretur clarius agnoscere, supremam sententiam edere in hanc diem Dominicam distulit, primam Quadragesimae. Quocirca Rmos Cardinales Alexandrum Verde, Causae Ponentem atque infrascriptum S. R. C. Praefectum nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque Secretarium ad Se advocavit, atque, sacrosancto Missae sacrificio rite oblato, pronunciavit : *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Rosae Venerini.*

in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, ut ad ulteriora procedi possit, nempe ad disceptationem miraculorum.

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 6 Martii a. D. 1949.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

✠ A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

III

NOVARIEN. SEU BITURICEN. SEU VICARIATUS APOST. PAPUASIAE

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI HENRICI BAPTISTAE STANISLAI VERJUS, EPISCOPI LIMYREN., COADIUTORIS VICARII APOSTOLICI NOVAE GUINEAE, E CONGREGATIONE MISSIONARIORUM SACRATISSIMI CORDIS IESU.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Euntes in mundum universum, ait Dominus, *praedicate evangelium omni creaturae* (Mc. 16, 15) : huic mandato Apostoli primum, postea autem omnes, qui christianas veritates infidelibus praecipue, ad barbaras nationes, Christum daturi aut sanguinem, advolantes, praedicant, audientes fuere ac sunt.

Eiusmodi Servus Dei Henricus, Baptista, Stanislaus Verjus fuit, uti cursim vitam eius delibantibus apparet.

Oledii in Novariensi dioecesi die 26 Maii anno Domini 1860 ex honestis piisque coniugibus Alexio Philippo atque Laura Massara natus, eodem die baptizatus est, nominibus Henrico, Baptista impositis.

Puerulus adhuc ad oppidulum Seynod prope Annecy in Sabaudia, cum parentibus contendit.

Anno 1867 ab Anneciensi Episcopo Magnin Confirmationis sacramentum excepit; sequentique anno ad sacram Corporis Christi communionem fuit admissus. Iam a puero longas protrahere moras coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento in deliciis habebat, atque pietatis studio prae aequalibus praestabat. Anno duodecimo aetatis libenti animo, ut

missionali vitae ad exteras gentes via sibi sterneretur, ad quam iamdiu se acriter inclinatum sentiebat, apostolicam scholam Congregationis Missionariorum Ssmi Cordis Iesu (Petite Œuvre), in pago Chezal-Benoît prope Issoudun in Archidioecesi Bituricensi sitam, ingressus est.

Quinque post annos tirocinium in eadem Congregatione incepit in pago Saint-Gérand-le-Puy, in Dioecesi Molinensi. Die 15 Februarii a. D. 1878 religiosa nuncupavit vota. Sequenti anno vertente, magisterium in apostolica schola, quam memoravimus exercuit, unde post biennium ab iniquis legibus religiosa Instituta insectantibus, e Gallia secedere coactus, Barcinonem se contulit, ubi die S. Patriarchae Ioseph sacro, anno 1881, perpetua vota emisit.

Eodem anno Romam venit, atque hic theologica studia perfecit, et in festo Omnium Sanctorum anno 1883 ad sacrum Presbyteratus Ordinem fuit promotus. Novembri mense anno 1884 vivissimi optatus iam a puero enutriti compos factus in Novam Guineam profectus est, quo, mense Iulio a. 1885, variis casibus graviter iactatus appulit. Qualiter in missionali apostolico ministerio se gesserit, quantaque sit passus, opportune beati Pauli verba nostrae menti obversantur: *Nullam requiem habuit caro nostra sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugnae, intus timores* (2 Cor., 7, 5). *In laboribus plurimis, ... in plagis supra modum, in mortibus frequenter ... in itineribus saepe, periculis fluminum, ... periculis ex gentibus ... periculis in solitudine, periculis in mari ... in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis ... in nuditate* (ib. 11, 23-27). Omnia haec Servus Dei pro Dei amore atque populi sibi commissi conversione est passus. Sedulo est quoque perpendendum Novam Guineam primitus tum evangelizari; habitatores eius feroces sylvicolas esse immo et anthropophagos, nihilo setius Servus Dei brevi plurimos ex eis transformavit, eorum corda sibi conciliavit et Christo lucrifecit. Tanta potuit perficere quia cum corpore operabatur mens et cor per iugem orationem Deo beataeque Virgini, cui erat addictissimus, uniebatur, atque vim ad omnia adversantia fortiter superanda abunde hauriebat. Eius merita Sacra Congregatio de Propaganda Fide perpendens, eum primum Vicarium Apostolicum Novae Britanniae et Episcopum titularem Limyrensem anno 1889 elegit. Verum antequam huius Vicariatus possessionem caperet, ab eadem Sacra Congregatione in coadiutorem sui Vicarii Apostolici lectus est, eo quod hic infirmitate laborabat. Episcopali consecratione suscepta, efficax Vicarii adiutor fuit, donec e Vicariatu profectus est, in Europam reversurus, ut et Apostolica visitaret limina et subsidia atque operarios compararet.

Ast viae Domini sunt investigabiles. Servus Dei Europam appulsus, Lugdunum, Issoudun, Massiliam adivit; Romae Leoni Papae XIII suam retulit missionalem actionem, fructusque susceptos.

Demum Oledium se contulit, ut in nativo aëre vires laboribus fractas recrearet, atque morbum, qui vitam ipsam minabatur coerceret. Sed frustra. Morbus enim adeo invaluit, ut post decem dies nulla recuperandae valetudinis spes affulserit. Quare Ecclesiae sacramentis roboratus, ad divinam voluntatem perfecte omnino apprime se conformans, die 13 Novembris anno 1892 spiritum exhalavit.

Sanctitatis fama erumpente, canonicae inquisitiones super scriptis, Sanctitatis fama atque cultu liturgico non praestito in Novariensi, Bituricensi, Vicariatus Apostolici Papuasiae (olim Novae Guineae, nuper Portus Moresby) Curiis, et per Rogatoriales litteras in Curiis Quebecensi, Anneciensi et Sydneyensi ab anno 1929 ad a. 1937, atque ad Urbem delatae.

Perpensis scriptis, Sacra haec Congregatio die 14 Novembris a. 1934 nihil obstare decrevit quominus ad ulteriora posset procedi.

Quatuor Emi Cardinales, plures Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Ordinum et Congregationum generales Moderatores et Moderatrices, Oledii civilis potestas, aliique supplices Pontifici litteras obtulerunt ut Servi Dei beatificationis causa introduceretur.

Servatis itaque de iure servandis, Rmo P. Aemilio Costanzi, Congregationis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu generali Postulatore, instante, die 8 Martii anni huius, Emus ac Rmus Cardinalis Benedictus Aloisi Masella, Episcopus Praenestinus, Causae Ponens seu Relator, in Ordinario huius Congregationis coetu, dubium posuit discutiendum: *An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum, de quo agitur,* de eaque retulit. Emi ac Rmi Cardinales, relatione audita, auditis quoque Officialium Praelatorum suffragiis atque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, omnibus mature perpensis, rescripserunt: *Signandam esse commissionem, si Ssmo placuerit.*

Facta autem Ssmo D. N. ab infrascripto Cardinali, subsignata die, relatione, Sanctitas Sua, Emorum Patrum rescriptum ratum habens, *commissionem Introductionis causae Servi Dei Henrici, Baptistae, Stanislai Verjus* Sua manu dignata est obsignare.

Datum Romae, die 11 Martii a. D. 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

SAGINAVEN.

NULLITATIS MATRIMONII (REVETTE-TICER)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dominae Lethae Ticer, conventae in causa de qua supra, eandem citamus ad comparendum sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 16 Februarii 1950 hora undecima ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

Dubium : *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis Dñae Lethae Ticer, curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur. *

Iosephus Pasquazi, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 9 Augusti 1949.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Lethe Ticer, defenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 16 fevrier 1950, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Lethe Ticer devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato in data 5 ottobre 1949, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare il Reverendissimo Padre Arduino Kleinhans, O. F. M., *Sotto-Segretario della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

27 aprile 1949. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Lavitrano Luigi, *Protettore delle Suore del Terz'Ordine di San Francesco di Millvale* (Pittsburg).

28 giugno » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Agostiniane Serve di Gesù e Maria* (Roma).

16 luglio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Adeodato Giovanni, *Protettore delle Suore Carmelitane Scalze Missionarie* (Barcellona).

6 agosto » L'Illmo e Revmo Monsig. Palazzini Pietro, *Prelato Referendario del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

8 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Lavitrano Luigi, *Protettore delle Figlie di San Giuseppe di Rivalba* (Torino).

2 settembre » S. E. Revma Monsig. Felici Ettore, *Nunzio Apostolico in Irlanda.*

3 ottobre » S. E. Revma Monsig. Levame Alberto, *Nunzio Internunzio Apostolico in Egitto.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

25 ottobre 1944. S. E. Revma Monsig. Navarrete Giovanni, Vescovo di Sonora.

2 luglio 1946. S. E. Revma Monsig. Kolb Giuseppe Ottone, Arcivescovo di Bamberga.

15 dicembre 1947. S. E. Revma Monsig. Diaz y Escudero Leopoldo, Vescovo di Chilapa.

7 luglio 1949. S. E. Revma Monsig. Gonzi Michele, Arcivescovo di Malta.

16 » » S. E. Revma Monsig. De Ferrari Carlo, Arcivescovo di Trento.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

5 giugno 1948. Monsig. Wolkenau Carlo, dell'archidiocesi di Bamberga.

31 ottobre » Monsig. Franken Arnoldo, della diocesi di Münster.

25 gennaio 1949. Monsig. de Barros Uchoa Giovanni, della diocesi di Niterói.

26 » » Monsig. Wolf Federico, della diocesi di Limburgo.

5 maggio » Monsig. Brangança Messias, della diocesi di Guaxupè.

25 » » Monsig. Murga Vincenzo, della diocesi di Ponce.

21 giugno » Monsig. de la Vaissière Giulio, della diocesi di Saint Flour.

» » » Monsig. Wagner Michele, della diocesi di Giavarino.

6 agosto » Monsig. McRae Giovanni Edmondo, dell'archidiocesi di Toronto.

30 » » Monsig. Petroccia Ciriaco, dell'archidiocesi di Benevento.

22 settembre » Monsig. Kramer Bernardo Antonio, della diocesi di Winona.

4 ottobre » Monsig. Viganò Erminio (Roma).

15 » » Monsig. Aldini Pericle, della diocesi di Mantova.

Prelato Domestico di Sua Santità:

24 febbraio 1946. Monsig. Drost Monteiro Giuseppe Maria, dell'archidiocesi di San Paolo del Brasile.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

18 agosto 1949. Al sig. cav. Lewis Franco J., dell'archidiocesi di Chicago.

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

8 settembre 1949. A S. E. il sig. Al Omari bey Mohammed Taher, Ministro di Egitto presso la Santa Sede.

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

12 ottobre 1948. Al sig. Carton de Wiart barone Edmondo, dell'archidiocesi di Malines.

18 febbraio 1949. Al sig. Roelandts Gastone, della medesima archidiocesi.

21 giugno 1949. Al sig. Barroso Luigi, dell'archidiocesi di Messico.
» » » Al sig. Barroso Guglielmo, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Wiechers Adolfo, della medesima archidiocesi.
7 luglio » Al sig. Werhle Agostino T., della diocesi di Columbus.
3 agosto » Al sig. McDonald Denis R. (Irlanda).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

24 febbraio 1946. Al sig. Merizalde Daniele, dell'archidiocesi di Bogotà.

La Gran Croce dell'Ordine di San Silvestro Papa:

28 luglio 1949. Al sig. Charles Paolo (Belgio).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa:

10 maggio 1949. Al sig. de Athaide Austrogesilo (Brasile).
28 luglio » Al sig. Leemans Francesco L. G. (Belgio).

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

25 giugno 1946. Al sig. Tardi Guglielmo (Roma).

NECROLOGIO

15 febbraio 1949. Monsig. Delalle Enrico, Vescovo tit. di Tugga.
1 settembre » Monsig. Flinn Tommaso G., Arcivescovo tit. di Silio.
16 » » Monsig. Thevenoud Giacomo, Vescovo tit. di Sitifi, Vicario Apost. di Ouagadougou.
30 » » Monsig. Chávez Alcázar Riccardo, Vescovo di Oruro.
10 ottobre » Monsig. O'Leary Tommaso Maria, Vescovo di Springfield-Massachussets.
13 » » Monsig. O'Doherty Michele Giacomo, Arcivescovo di Manila.
27 » » Monsig. Kalacherry Giacomo, Vescovo di Changanacherry.
3 novembre » Emo Sig. Card. Marmaggi Francesco, del titolo di S. Cecilia, Prefetto della Sacra Congregazione del Concilio.
7 » » Monsig. de los Santos Díaz y Gómara Michele, Vescovo di Cartagena.
13 » » Monsig. Negri Angelo, Vescovo tit. di Barica, Vicario Apost. di Nilo Equatoriale.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

PONTIFICIA ACADEMIA SCIENTIARUM

ACTA vol. XIII

N. 1 GIUSEPPE TONIOLO - **L'esame radiografico del cranio di S. Caterina da Siena** - pp. 1-8 - 2 t. f. t. L. 250

N. 2 ARMANDO CHIELLINI - **Sui sistemi differenziali lineari ordinari e sui loro aggiunti di Lagrange** - pp. 9-28 L. 160

N. 3 ANGELO TONOLO - **Sulle varietà Riemanniane normali a tre dimensioni** - pp. 29-54 L. 200

N. 4 I. DE KORT S. I. - **Astronomical Appreciation of the Gregorian Calendar** - pp. 55-62 con 3 fig. L. 150

N. 5 FRANCESCO GIORDANI - **Nicola Parravano** - pp. 63-66 L. 32

N. 6 ANTONIO RENATO TONIOLO - **Filippo De Filippi** - pp. 67-74 L. 64

N. 7 GIANCARLO VALLAURI - **Guglielmo Marconi** - pp. 75-86 L. 100

N. 8 W. F. K. BJERKNES - **Guglielmo Marconi** - pp. 87-92 L. 50

N. 9 GEORGE LEMAITRE - **Lord E. Rutherford of Nelson** - pp. 93-96 L. 32

COMMENTATIONES vol. XIII

N. 1 F. M. GEROLE - **Gli acidi nucleinici nella gametogenesi vegetale** - pp. 1-76 L. 600

N. 2 DOMENICO GIGANTE - **Ricerche polarografiche sui tumori** - pp. 77-152 L. 700

RELATIONES

N. 22 SILVIO CINQUINI - LUIGI AMERIO - ALDO GHIZZETTI **Analisi matematica in Italia nel campo reale** (dal 1939 al 1945) pp. 1-86 L. 690

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

Collezione «STUDI E TESTI»

N. 150 ENRICO CERULLI - **Il «LIBRO DELLA SCALA» e la questione delle fonti arabo-spagnole della Divina Commedia** - Un volume in 8° di pp. 576 L. 5000

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

ORDO DIVINI OFFICII RECITANDI SACRIQUE PERAGENDI IUXTA CALENDARIUM ECCLESIAE pro ANNO DOMINI 1950

Lit. 180 ($ 0,40)

Praesens editio Calendarii iuxta novas editiones Missalis et Breviarii Romani nec non S. Rituum Congregationis decreta redacta, praecedentibus excellit ordine, claritate et brevitate. Praecedunt valde utilia *Animadvertenda* circa *regulas in Missae celebratione servandas*; sequitur *Ordo divini Officii recitandi Missaeque celebrandae* cum peropportunis notis respicientibus sollemnitates vel functiones peculiares: in fine Appendix pro Missionibus.

ORDO PRO CLERO SAECVLARI ROMANO

ANNO DOMINI 1950 - L. 200 ($ 0,50)

SUB PRAELO

ANNUARIO PONTIFICIO 1950

RITRATTO DI S. S. PIO XII E STEMMA A COLORI - LEGATURA IN TELA, TITOLO IN ORO

ANTONII BACCI

VARIA LATINITATIS SCRIPTA

Editio altera in duo vol. redacta

Vol. I: INSCRIPTIONES, ORATIONES, EPISTULAE (pag. 260)

Vol. II: LEXICON EORUM VOCABULORUM, QUAE DIFFICILIUS LATINE REDDUNTUR (pag. 576)

Cum nostra haec aetas tam multa induxerit vocabula ad *res novas significandas*, quas hominum ingenium pepererit, latinitatis cultores saepenumero ancipites haerent, quotiescumque volunt eiusmodi vocabula ex vulgaribus sermonibus in latinum vertere. Quamobrem, cum quattuor abhinc annis Antonius Bacci ab Epistulis Pont. Max. ad Principes hoc opus in lucem edidit, non modo in Italia, sed in exteris etiam Nationibus, proditum volumen omnium gratulationem favoremque assecutum est. In praesens autem opus iterum editur in duo distributum volumina, quorum alterum ex LEXICO constat non solum emendato, sed in duplicem etiam paginarum numerum adaucto; alterum vero varia latinitatis scripta complectitur, quae saepissime novas eas voces latine reddunt, quae in communibus lexicis vel omnino desunt, vel minus recte proponuntur.

Putamus igitur hoc opus non tam utile, quam necessarium prorsus iis omnibus fore, qui latinam linguam excolunt, ac nominatim scholarum praeceptoribus et alumnis, iis qui acta vel documenta in Academiis et in Dioecesanis Curiis conficiunt, iis qui studiorum certamina participant ad publicum assequendum munus etc...

Iis etiam, qui Italicam linguam fere ignorant, hoc Lexicon perutile esse potest; quamvis enim vocabulorum series ex Italico sit sermone sumpta, totum tamen opus latine nitideque conscriptum est, intersertis solummodo opportunis interpretationibus vulgari lingua exaratis.

Sacra Congregatio Seminariis studiorumque Universitatibus praeposita hoc opus commendavit utpote «textum seu librum subsidiarium» in latinitatis scholis habendum.

Vol. I venit Lib. ital. DC. . ($ 1,20)

Vol. II venit Lib. ital. MD. . . ($ 3)

Duo volumina veneunt Lib. MM. ($ 4)